

licis optima conscientia subscribere nobisque palpum obtrudere possint. Et inde Quæstio non minimi momenti, vel ex eo solum, quod Conscientiam obliget, orta: *An Categoricum in Libros Symbolicos præstandum Juramentum?* Quam Quæstionem mihi tandem, postquam diu aliquantisper materiam, de qua publicam Dissertationem conscriberem, circumspexeram, examinandam elegi, eo forte chariorem B. L. quo dispersa magis hinc inde in Autoribus colligenda, & quo quondam Studiosis Theol. ejusdem cognitio proficua magis, ne & illis usu veniat, quod multis tempore *D. Finckelthufii* examinandis, qui cum probationem ab illis exigeret theses, quod licitum sit Juramentum religionis ex textu Biblico, ejus nullam adducere sciverunt. Sic enim habent se illius verba in *Tract. de Jure Patr. Cap. VI. p. 294. Deprehendi* (& quidem NB. *cum indignatione*) *nullum ipsos* (loquitur de Examinandis & Ordinandis) *textum Biblicum ad hanc meam quæstionem allegare & applicare potuisse.* Quod si vero minus pro materiæ dignitate & tua expectatione B. L. rem pertractaverim, tuæ humanitati confisus mihi partim, quod hoc primum sit Exercitium meum Theologicum publice editum, partim, quod iter in patriam præter opinionem maturare cogar, & hinc tantum, quod quidem constitueram, temporis spatium Dissertationi impendere reliquum non sit, veniam certam polliceor. Cæterum omnis mea Dissertatio eo collimabit, ut præmissis quibusdam præcognoscendis Thesin assertam abunde probem & mox adversarios cum suis objectionibus adductos pro virili refutem atque rejiciam. *Deus nostra*

*secundet cœpta!*

SECTIO